PA 3875
.E3 G6
Copy 1

DE TEMPORIBUS

ECCLESIAZUSON ARISTOPHANIS

COMMENTATIO

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE


UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

GEORGIUS GOETZ

HILPERTOHUSANUS



LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXIV

PA3875
.E3G6

De anno actae Ecclesiazuson fabulae.

Ecclesiazusae Aristophanis quo anno editae sint, primus Samuel Petitus quaerere instituit[1]), isque, cum interciderit didascalia, ab ipsius fabulae his est versibus profectus (193—194):

τὸ ξυμμαχικὸν αὖ τοῦθ᾽ ὅτ᾽ ἐσκοπούμεθα,
εἰ μὴ γένοιτ᾽, ἀπολεῖν ἔφασκον τὴν πόλιν.

Ad quam rem haec spectant scholiastae verba: περὶ δὲ τοῦ συμμαχικοῦ Φιλόχορος ἱστορεῖ ὅτι πρὸ δύο ἐτῶν ἐγένετο συμμαχία Ἀθηναίων καὶ Βοιωτῶν: (nam Ἀθηναίων scribendum esse pro Λακεδαιμονίων recte monuit Petitus). Haec autem cum viderentur ad notissimum illud foedus pertinere, quod inierant Ol. 96, 2 Athenienses, Boeoti, Corinthii contra Lacedaemonios, simplicissimo calculo ad Ol. 96, 4 referri poterant Ecclesiazusae, id quod fecit Petitus: nec dissentire ab eo quemquam eorum memini, quibus hanc quaestionem tangendi occasio fuit[2]), praeter unum Palmerium, cuius haec verba sunt[3]): 'Annum certum notare non ausim; nam argumenta, quibus utitur Petitus et probare intendit eam [fabulam] sine dubio prodiisse anno 4 Ol. 96, mihi infirmiora videntur, quam ut quis possit secundum ea aliquid certi pronuntiare. Nam quod ex Philochoro attulit scholiastes: πρὸ δύο ἐτῶν ἐγένετο συμμαχία Λακεδαιμονίων καὶ Βοιωτῶν, licet emendetur (ut credo debere fieri) Ἀθηναίων καὶ Βοιωτῶν, id non evincit; nam illud πρὸ δύο ἐτῶν non videmus ad quem terminum seu annum referri debeat. Nimis breviter enim verba citavit scholiastes, nec credo Philochorum in suis Atticis notasse annos, quibus fabulas suas docuit Aristophanes.' Ipse autem compluribus

---

[1]) Miscell. I c. 15.

[2]) Dind. in edit. Oxon. tom. III p. 659 et in praefat. poet. scenic. edit. V p. 29; Bode, Gesch. der dram. Dichtk. der Hell. III p. 361; Bernhardy, Grundriss d. gr. Lit. II³ p. 665; Clinton II² p. 107; Zastra, de Aristoph. Eccl. fab. tempore atque consilio (Vratisl. 1836).

[3]) Exercit. p. 784.

locis comprobare studet, etsi omnino annus non sit certus, tamen 'non multum ante Plutum' fabulam esse editam, 'forte circiter Ol. 97'.[4]) Afferam eius ipsius verba, quoniam omnino nimis videntur esse neglecta. Ad v. 102 igitur haec habet[5]): 'quando et in Pluto comoedia hic Agyrrhius etiam traducitur, verisimile est hanc fabulam non longe ab illius tempore productam fuisse'. Ad v. 254[6]): 'hunc Neoclidem in Pluto etiam lippum et furem et turbantem in concionibus exagitat; quod etiam argumento est, huius fabulae natalitia non multum abfuisse a Pluti didascalia'. Et ad v. 305[7]): 'non pugnat hic locus cum aliis, quos notavi innuere, hanc fabulam prodiisse non multum ante Plutum'. Porro ad v. 647[8]): 'hunc Aristullum, cuius basium ait timendum esse, exagitavit etiam in Pluto ut virum, cuius nasus stercus olebat, et de nare loquebatur, quod et rursus indicium est hanc fabulam et Plutum non multum differre temporε'. Denique ad v. 1026[9]): 'ex superioribus licet colligere hanc fabulam fere contemporaneam esse fabulae, cuius est titulus Πλοῦτος'.

Hac autem via, nisi alia accedant, non multum proficiemus. Quid enim, si illi viri tribus quattuorve annis ante similiter iam se gesserant? Eodem iure possit quispiam ex eo, quod huius fabulae v. 330 Cinesias prorsus eodem modo irridetur atque in Ran. v. 366, colligere fere 'contemporaneas' esse has fabulas. Ab his et similibus certe non est proficiscendum. Sed videamus, num, quae contra Petiti rationem monuit Palmerius, recte sint monita. Iure suo primum negavit probabile esse ipsum Philochorum in rebus Atticis enarrandis didascalias fabularum respexisse. Nam quod contra protulit Bodius[10]): 'Philochorus pflegte auch sonst auf die dramatischen Didascalien Rücksicht zu nehmen: Schol. Lys. 173', nihil probat; ibi enim haec exstant: τὸ ἀργύριον τὸ ἄβυσσον ἦν παρὰ τῇ θεῷ ἐν τῇ ἀκροπόλει. καὶ γὰρ ἀληθῶς ἐπέκειτο χίλια τάλαντα. ἤρξαντο οὖν κινεῖν αὐτὰ ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος, ἐφ' οὗ εἰσήχθη τὸ δρᾶμα, ὥς φησι Φιλόχορος ἐν Ἀτθίδι. Ex his autem verbis, quamvis sit structura paullo inusitatior, tamen prorsus nihil est coniciendum nisi auctorem esse Philochorum, Callia archonte Athenienses illo argento uti coepisse; verba quae sunt ἐφ' οὗ εἰσήχθη τὸ δρᾶμα ad scholiastam,

---

[4]) ibid. p. 776. [5]) p. 777. [6]) p. 780. [7]) p. 781. [8]) ibid. [9]) p. 784. [10]) l. s. s. p. 361 adn. 4.

non ad Philochorum pertinent. Qua ratione haec et similes adnotationes intellegendae sint, aperte docet locus quidam apud schol. ad Eurip. Or. v. 760: πρὸ ἐτῶν δύο τῆς διδασκαλίας τοῦ Ὀρέστου αὐτός [ὁ Κλεοφῶν] ἐστιν ὁ κωλύσας σπονδὰς γενέσθαι Ἀθηναίοις πρὸς Λακεδαιμονίους, ὡς Φιλόχορος ἱστορεῖ. Similiter ad Plut. 972, non facta didascaliae mentione: . . οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐβούλευον οὗτοι τῷ πρὸ τούτου ἔτει ἀρξάμενοι. Atque ita saepius. Scholiastam igitur hoc quoque loco profectum esse a didascalia admodum est veri simile; in ea autem haec vel similia necesse est extitisse: ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Δημοστράτου. Nam hunc fuisse eius anni, de quo cogitavit scholiasta, archontem ex Diodori l. XIV c. 90 apparet. Iam igitur habemus, quo referamus illud πρὸ δύο ἐτῶν, suoque iure Petitus et qui cum eo fecerunt ad Ol. 96, 4 Ecclesiazusas rettulisse videantur.

Non idem est de die festo, quo pertineat fabula, inter doctos consensus. De Panathenaeis cogitabat Petitus cum aliis quibusdam de causis tum propter hunc maxime versum (743):

— τοὺς θαλλοὺς καθίστη πλησίον

quo Panathenaeorum pompam describi putat: quam opinionem etsi multis verbis firmare Zastra studet[11]), tamen post ea, quae nunc de ludis scaenicis comperta habemus, vix operae pretium videtur refutare [12]). Itaque restant Lenaea et magna Dionysia. De his cogitavit Glypheus[13]), de illis Palmerius[14a]), Passovius[14b]), Dindorfius[15]), alii. Glypheus enim, qui falsa deceptus interpretatione scholii, quod est ad Ran. 406, Athenienses omnino iam desiisse illo tempore Lenaeis fabulas edere contendit, non potuit non ad magna Dionysia confugere. Illic autem haec exstant: ἐπὶ γοῦν τοῦ Καλλίου τούτου φησὶν Ἀριστοτέλης ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς· ὥστε ἴσως ἦν τις καὶ περὶ τὸν Ληναϊκὸν ἀγῶνα συστολή, χρόνῳ δ' ὕστερον οὐ πολλῷ τινι καὶ καθάπαξ περιεῖλε Κινησίας τὰς χορηγίας. Ex his autem quomodo fieri potuerit, ut Glypheus id quod proposuit colligeret, nemo intellegeret, nisi verborum ὥστε ἴσως ἦν τις καὶ

---

[11]) l. s. s. p. 17 sqq.

[12]) Boeckh de gr. tr. pr. p. 208; A. Mommsen, Heort. p. 140 adn. ††.

[13]) 'Aristophanes' Weibervolksversammlung; nebst einer Abhandlung über Veranlassung, Absicht und Darstellung des Stückes, von Dr. Glypheus' (K. F. Schnitzer?). Stuttg. a. 1836. p. 24.

[14a]) l. s. s. p. 780. [14b]) in Diar. antiq. stud. a. 1837 p. 244 adn.

[15]) Edit. Oxon. ad v. 18.

περὶ τὸν Ληναϊκὸν ἀγῶνα ϲυϲτολή hanc ipse interpretationem adscripsisset: 'dass man es an den Lenaeen ersparen wollte'. Hanc igitur rationem missam faciemus. Contra Dindorfius propterea, quod versu 18 Scirorum mentio fit, ad Lenaea fabulam rettulit, quippe quae proxime Scira insequerentur. Scira enim mense Pyanepsione agebantur, Lenaea Gamelione, Dionysia Elaphebolione. Sed quid inde consequitur? Nonne etiam si ad Dionysia Ecclesiazusas referimus, aptissime potuit poeta dicere Scirorum die festo consilia illa a mulieribus inita esse? Si inter Lenaea et Dionysia dies aliquis intercederet, quo simili modo convenire mulieres solerent, Dindorfii ratione aliquid saltem probari concederemus: sed cum sola Gamelia, Anthesteria, parva Mysteria, Diasia interposita essent, ne in promptu quidem poetae dies fuit, quo apte illa consilia pertinere diceret.

Firmiore argumento Palmerii nititur sententia, quam profert ad v. 291.[16]) Ibi enim mulieres invicem se hortantur, ut ante diluculum veniant in contionem, ne mercedem amittant. Verba haec sunt (289 sqq.):

χωρῶμεν εἰϲ ἐκκληϲίαν, ὦνδρεϲ· ἠπείληϲε γὰρ
ὁ θεϲμοθέτηϲ, ὅϲ ἂν
μὴ πρῷ πάνυ τοῦ κνέφουϲ
ἥκῃ κεκονιμένοϲ,
ϲτέργων ϲκοροδάλμῃ,
βλέπων ὑπότριμμα, μὴ
δώϲειν τὸ τριώβολον.

Ad haec adnotavit Palmerius: 'hinc oritur non levis suspicio, quod haec fabula prodierit Lenaeis Liberalibus hieme, ut comici fictio concordet cum tempore, quo repraesentabatur fabula. Nam tunc hiems erat et dies brevissimi, ideo diluculo cogebatur populus, non vero tam mane verno tempore iam diebus satis prolixis'. Habet certe haec sententia quo commendetur; accedit, quod etiamtum sub galli cantum mulieres (v. 1 sqq. 27. 50) utuntur lucernis. Haec omnia in hiemem potius quam in ver cadunt; itaque haud improbabili coniectura de Lenaeis licebit cogitare.

Haec summa fuit sententiarum, quas et de die festo et de anno viri docti protulerunt; nonnulla a probabilitate non abhorrebant; prorsus improbabilia esse alia visa sunt. De die festo vix est quod addam; plura de anno, quo fabula pertineat, di-

---

[16]) l. s. s. p. 780.

cenda sunt. Ante omnia autem expendendi sunt loci, quibus temporis rationes poeta tangit, examinandumque num, quae de his disputaverint viri docti, concordent cum eis quae de Ol. 96, 4 alibi tradita sint.

Maxime autem rerum tunc gestarum rationem habere visi sunt versus 193—203, quos liceat subicere:

τὸ ξυμμαχικὸν αὖ τοῦθ' ὅτ' ἐcκοπούμεθα,
εἰ μὴ γένοιτ', ἀπολεῖν ἔφαcκον τὴν πόλιν·
ὅτε δὴ δ' ἐγένετ', ἤχθοντο, τῶν δὲ ῥητόρων
ὁ τοῦτ' ἀναπείcαc εὐθὺc ἀποδρὰc ᾤχετο.
ναῦc δεῖ καθέλκειν· τῷ πένητι μὲν δοκεῖ,
τοῖc πλουcίοιc δὲ καὶ γεωργοῖc οὐ δοκεῖ.
Κορινθίοιc ἤχθεcθε, κἀκεῖνοί γέ coι·
νῦν δ' εἰcὶ χρηcτοὶ, καί cυ νῦν χρηcτὸc γενοῦ.
Ἀργεῖοc ἀμαθὴc, ἀλλ' Ἱερώνυμοc coφόc·
cωτηρία παρέκυψεν, ἀλλ' οὐ ῥύcεται
Θραcύβουλοc αὐτὸc οὐχὶ παρακαλούμενοc.

Foedus igitur, cuius v. 193—196 mentio fit, interpretes cum scholiasta idem esse iudicare atque illud, quod Ol. 96, 2 contra Lacedaemonios ictum est, iam supra memoratum est. Ipsum autem scholiastam iam dubitavisse quid iudicaret, aperte eius verba docent: ἡ μὲν γνώμη τίc ἦν καὶ ὑπὸ τίνοc, ἄδηλον· περὶ δὲ τοῦ cυμμαχικοῦ Φιλόχοροc ἱcτορεῖ ὅτι πρὸ δύο ἐτῶν ἐγένετο cυμμαχία Λακεδαιμονίων καὶ Βοιωτῶν. Scholiasta igitur cum secundum didascaliam de anno quarto Ol. 96 cogitaret, inspexit Philochori res Atticas, ut indagaret, quo illud ξυμμαχικὸν pertinere videretur. Circa idem autem tempus fuit bellum Corinthiacum, quod initium ceperat inde ab Ol. 96, 2; ad quod cum putaret illa verba spectare, τὸ ξυμμαχικὸν ita explicavit ut factum esse vidimus.

Sed audiamus ea quae insecuntur. Ad v. 196 adnotavit scholiasta: Κόνωνα δὲ λέγει. Quam sententiam Palmerius ita defendit et supplet[17]: 'Quod ad versum 196 attinet, is optime de Conone intelligitur. Nam eius praecipue opera et suasione rex Persarum pecunias misit, quibus adiutus Conon socios Lacedaemoniorum et Athenienses deficere persuasit et capta Cythera Corinthum ivit et ibi societatem provexit datis pecuniis. Anno vero insequente cum muros Athenarum instaurasset, a Tiribazo

[17] l. s. s. p. 778.

Sardis est incarceratus: unde numquam rediit; ideo dicit Aristophanes ᾤχετο.' — Hanc igitur Palmerii explicationem, quamquam de anno dubitantis, neminem vidi qui improbaret praeter Brunckium: et tamen triplici illa errore laborat. Primum enim repugnant temporis rationes. Nam supra vidimus ex virorum doctorum sententia fabulam ad Lenaea Ol. 96, 4 referri; iter autem Cononis vere Ol. 96, 4 susceptum esse nunc communi consensu constat[18a]): itaque ne potuit quidem poeta, si cum interpretibus illis facimus, in Ecclesiazusis eius rei mentionem inicere[18b]). Sed accedunt alia. Nego enim omnino v. 196 Cononem dici, id quod Brunckio quoque falsum visum est haec adnotanti: 'in Cononem hoc minime cadere mihi videtur. Totus hic locus admodum obscurus est ob monumentorum historicorum penuriam.' Ex verbis: τῶν δὲ ῥητόρων ὁ τοῦτ' ἀναπείσας εὐθὺς ἀποδρὰς ᾤχετο haud dubie apparet suasorem illius de quo agitur foederis Athenis esse versatum, deinde ex urbe effugisse. Nec vero vel illud vel hoc in Cononem cadit. Is enim post pugnam ad Arginusas factam apud Euagoram Cypri regem moratus est, donec a rege Persarum una cum Pharnabazo classi praeficeretur. Anno demum tertio exeunte Ol. 96 in Graeciam est profectus, itaque ne fuit quidem Athenis eo tempore, quo initum est foedus contra Lacedaemonios. Multo autem minus in eum cadunt verba ἀποδρὰς ᾤχετο. Res enim haec est: cum Lacedaemonii nimis increscentes Atheniensium opes veriti Antalcidam in Asiam misissent, ut in ipsorum partes Persarum regem traheret, socii quoque ἀντιπέμπουσι πρέσβεις μετὰ Κόνωνος Ἑρμογένην καὶ Δίωνα καὶ Καλλισθένην καὶ Καλλιμέδοντα (Hell. IV, 8, 13). Haecine videri fuga potuit, ut Aristophanes posset ἀποδρὰς ᾤχετο dicere?

Itaque fatendum erit erravisse scholiastam, ut saepius. Sed quomodo in hanc opinionem incidere potuerit si quaerimus, idem dicendum est quod iam significavi: illum, cum de anno quarto

---

[18a]) Vere Ol. 96, 3 profectus est; primum cepit Melum insulam, dein Pheras, ubi oras devastavit; tum potitus est Cythera; post hoc appulit Corinthum sociosque adiuvit, quo facto Athenas se vertit murosque restituit. Haec omnia et quae praeterea narrat Xenophon libro IV c. 8 ad annum 393 pertinent, res autem quae sunt inde a § 12 ad ver anni 392. Cf. Grotii hist. gr. t. V p. 286 (transl. vernac.), alios ut omittam.

[18b]) Quamquam hic error non in ipsum Palmerium cadit, quippe qui fabulam ad posterius tempus referat.

Ol. 96 cogitaret, circumspexisse, quacum re coniungeret poetae verba. Cum autem τὸ ξυμμαχικόν referret ad notum foedus illud, constaret autem Cononis maxime auxilio fretos Athenienses bellum suscepisse, ipsum vero muris restitutis rursus in Asiam venisse nec rediisse, habuit certe cur hunc versum ad Cononem traheret. Cum igitur hac in causa tamquam ἐπ' αὐτοφώρῳ deprensus sit scholiasta, valde dubitare licet num, quae de societate illa commentatur, secus se habeant. Quis enim illud foedus maxime suasit Atheniensibus? De qua re audias velim ipsius Xenophontis verba; is enim libro III c. 5 § 16, ubi, quae Boeotorum legati dixissent, narravit, ita pergit: τῶν δ' Ἀθηναίων πάμπολλοι μὲν συνηγόρευον, πάντες δ' ἐψηφίσαντο βοηθεῖν αὐτοῖς. Θρασύβουλος δὲ κτέ. Quibus verbis demonstratur non uno suasore, sed communi consensu foedus cum Boeotis initum esse. Quae cum ita sint, augetur suspitio etiam hac de re errasse scholiastam et qui eum sunt secuti. Quae quo possint spectare videri (nam quaedam semper obscura erunt), infra exponetur.

Similiter ac Palmerius Droysenus iudicavit in adnotatione ad eundem versum 196: 'der Scholiast meint, dieser Redner sei Konon; um die Zeit, als er den Wiederaufbau der Mauern in Athen betrieb (Sommer 393), waren die blutigen Auftritte in Korinth, und die darauf folgende Verstimmung der Athener und ihre Unlust an Weiterführung des Krieges mochte als Grund von Konons Abreise angesehen werden.' Quae quam non congruant cum rebus illo tempore revera gestis, ex eis quae dixi satis iam apparet; sed de novo argumento quod affert paullo accuratius agendum est. In versibus 199—200 haec extant:

Κορινθίοις ἤχθεσθε, κἀκεῖνοί γέ σοι·
νῦν δ' εἰσὶ χρηστοί, καὶ σὺ νῦν χρηστὸς γενοῦ.

De his praeter ea quae iam attuli, ad v. 193 ita sentit Droysenus: 'in Korinth entstanden bald blutige Parteiungen, welche die Unternehmungen der Verbündeten hemmten; deshalb zürnte Athen auf Korinth; die Ermordung der spartanisch Gesinnten und ernstlicher Widerstand gegen die anrückenden Spartaner bewährte, dass sie der gemeinsamen Sache treu seien.' Corinthi enim duae erant factiones: altera quae bellum sepeliri, altera quae acriter geri cupiebat. Illi cum Lacedaemoniis, hi cum Atheniensibus eorumque sociis faciebant. Quae cum ita essent, amici Atheniensium adversarios coniuratione facta adorti partim trucidaverunt,

partim secum ut agerent coegerunt. Quod die festo Eucliorum factum esse Xenophon tradit[20]; Euclia autem in mensis Februarii parte posteriore acta esse haud improbabiliter suis calculis effecit Kirchnerus[21]. Iam vero quaeritur, quo anno illa seditio facta sit: quae res paullo difficilior expeditu est. E Xenophontis verbis[22] concludere licet eo tempore, quo Pharnabazus et Cono Corinthum venerunt, ibi strenue bellum esse gestum: id quod mirandum esset, si brevi tempore ante tales in urbe discordiae fuissent. Deinde illa seditio ex taedio belli prodiit: unde consequitur ut probabilius sit post clades, detrimenta, labores demum, quae per longius spatium obtinebant, eo venisse cives ut tantopere dissiderent. Talia enim paullatim, non subito eveniunt.[23] Itaque rectius de mense Anthesterione Ol. 96, 4 cogitabimus, praesertim cum, hoc si statuimus, totius illius temporis multae diluuntur difficultates chronologicae.[24] Quodsi Ecclesiazusas ad Lenaea eiusdem anni referimus, ne potuit quidem poeta illarum rerum iam inicere mentionem: unde apparet aut temporis definitioni interpretum aut horum versuum explicationi certa obstare impedimenta. Vehementer tamen dubitare licet, num versus 199—200 revera huc respiciant; verba enim illa ita obscura sunt propter monumentorum historicorum penuriam, ut vix umquam sperandum sit prorsus ea illustrari posse; ad temporis igitur computationem non sunt adhibenda.

Iam igitur ad versus 197—198 veniendum est:

ναῦc δεῖ καθέλκειν· τῷ πένητι μὲν δοκεῖ,
τοῖc πλουcίοιc δὲ καὶ γεωργοῖc οὐ δοκεῖ.

De quibus haec adnotavit Zastra[25]: ‘deinde versus 197—198

---

20) Xenoph. Hell. IV, 4, 2.

21) Kirchnerus ‘de Andocidea quae fertur tertia oratione’ ed. Berol. a. 1861. Vltimus enim mensis Corcyraeorum vocabatur Εὔκλειοc, quod nomen vix poterit dubitari quin cum illis festis diebus patriae coniunctum sit. Cf. C. I. G. vol. II p. 23. Is autem mensis spectat ad nostri Februarii posteriorem partem et priorem Martii.

22) ταῦτα δὲ ποιήcαc καὶ ἐc Ἰcθμὸν τῆc Κορινθίαc καταπλεύcαc καὶ παρακελευcάμενοc τοῖc cυμμάχοιc προθύμωc τε πολεμεῖν καὶ ἄνδραc πιcτοὺc φαίνεcθαι (τῷ) βαcιλεῖ, καταλιπὼν αὐτοῖc χρήματα ὅcα εἶχεν ᾤχετο ἐπ’ οἴκου ἀποπλέων.

23) Ita Grotius V p. 262.

24) de quibus conf. Grotium l. c., qui horum temporum rationes primus accuratius et rectius definivit.

25) l. s. s. p. 15.

perspicue ostendunt, tempore fabulae actae naves fuisse exornatas; quod quando factum sit quaerentes Ol. 97, 1 decem triremes Euagorae auxilio missas esse invenimus, quas Ol. 96. 4 ornatas esse veri simile videtur.' Xenophon enim lib. IV c. 8 Rhodios nonnullos narrat ab adversariorum factione expulsos ad Lacedaemonios venisse, ut auxilium ab eis peterent, neque id frustra. Illi enim statim decem naves Ecdico duce miserunt ad restituendos exules et adversarios debellandos. Simulque cum eo Diphridas profectus est, qui res in Asia a Strutha labefactatas curaret. Postea autem cum Cnidum Ecdicus venisset, viribus suis diffidens ibi commoratus est, donec Lacedaemonii Teleutiam submitterent, qui paullo ante una cum Agesilao Lechaeum expugnaverat[26], atque huic in itinere contigit ut in decem Atheniensium naves, quae duce Philocrate ad Euagoram profecturae erant, incideret easque felici casu opprimeret: quo facto Rhodum tetendit auxiliumque quod promissum erat amicis tulit. Cum autem Teleutiam Ol. 97, 1 exeunte cepisse Lechaeum probatum sit, de ineunte anno altero Ol. 97 cogitetur necesse est. Sed erratum est etiam ab eis, qui ad eius anni posteriorem partem hanc expeditionem referri voluerunt. Primum enim constat hanc post iter a Thrasybulo susceptum factam esse[27]; illum autem vere demum Ol. 97, 2 esse profectum ita effecit Frohbergerus[28], ut mihi prorsus persuaserit: unde consequitur, ut ea de qua agitur res ad priorem partem eiusdem anni pertineat. Idem eo confirmatur, quod vere Ol. 97, 1 Teleutias Lechaeum cepit nec probabile est eum per totum annum in sinu Corinthiaco versatum esse rebus in mari Aegeo graviter afflictis. Eodemque de tempore cogitaverunt Kirchnerus[29] et Rauchensteinius[30]. Hinc igitur non efficitur, quod visum est Zastrae, nullaque necessitas est, qua cogamur ut Athenienses statuamus Ol. 96, 4 navibus exstruendis ita fuisse oneratos. Maxima classis, quam per totum illud tempus paraverunt, ea est cui praefuit Ol. 97, 2 Thrasybulus; itaque si umquam rei navali insigniorem operam impenderunt, id biennio post factum est. Ad annum autem, quo sint Ecclesiazusae actae, definiendum hac re uti non licet[31].

---

[26]) Rectius quam antea factum est de hac re iudicaverunt Grotius V p. 267 sqq., Kirchnerus p. 22 sqq. Falso alii de priore tempore cogitaverunt.

[27]) Hellen. IV, 8, 95. [28]) Philol. XVII p. 439 sqq. [29]) l. s. s. p. 31. [30]) ad Lys. XIX § 20. [31]) Res illius temporis sic videntur esse dis-

Extremi eius quem supra attuli loci versus hi sunt:

Ἀργεῖος ἀμαθής, ἀλλ' Ἱερώνυμος σοφός·
σωτηρία παρέκυψεν, ἀλλ' οὐ ῥύσεται[32])
Θρασύβουλος αὐτὸς οὐχὶ παρακαλούμενος.

De priore versu nihil habeo quod dicam, ut qui perobscurus sit. De reliquis Droysenus haec adnotavit[33]): 'Diese sehr schwierige Stelle scheint sich darauf zu beziehen, dass Thrasybul, der bekannte Befreier der Stadt von der Herrschaft der Dreissig, in diesem Jahre mit vierzig Schiffen den Rhodiern, ohne dass sie darum gebeten hatten, zu Hülfe zog, damit sie sich von der spartanischen Herrschaft befreiten. Der Dichter meint, die guten Aussichten, die man durch den Sieg von Knidos und andere Ereignisse in dem währenden Kriege gewonnen, würden durch derartige Unternehmungen, wie sie Thrasybulus beantrage, verzettelt.' — Rectissime hos versus Brunckius Cimmeriis esse tenebris involutos iudicavit; hoc tamen licet ex corruptis verbis concludere, spem salutis affulsisse Atheniensibus, sed Thrasybuli culpa ad irritum esse redactam. De qua autem re poeta cogitaverit si quaerimus, unam viam esse relictam videbimus, qua omnino verba intellegamus: referenda enim ea ad ipsam illam expeditionem videntur quam Droysenus significavit. Thrasybulus enim missus erat, ut Rhodiis subveniret; quos cum neglegeret ac sua sponte in mare Thracicum proficisceretur, nonne hac ipsa re potuit saluti urbis officere videri? Quid, quod paullo post ita in invidiam vocatus est Atheniensibus, ut redire coactus et damnatus esset,

---

ponendae: vere Ol. 97, 1 captum est Lechaeum; autumno Ol. 97, 2 Teleutias in mare Aegaeum profectus Philocratem oppressit; vere eiusdem anni expeditio Thrasybuli coepta est. Vnde apparet bellum Cypriacum initium cepisse iam ab Ol. 97, 2, quippe quo anno Athenienses Philocratem miserint.

[32]) Libri: ἀλλ ὁρίζεται. Scriptura certo corrupta est, medela autem, quae satisfaciat, nulla in promptu; οὐ ῥύσεται Bothius, vix recte.

[33]) De hac re Glypheus quoque egit p. 22. Is enim versus quos attuli adaeque explicat cum Droyseno, praeterea autem haec addit: 'der sehr ernste Komiker behauptet wenigstens Gerechtes gegen den Willen eines Einzelnen, indem er dessen ungebetene Hülfeleistung zugleich im Interesse des eigenen Vaterlandes missbilligt.' Haec quo spectent, me non intellegere profiteor. Maxime vero in eo ille errat, quod fere ubique sequitur Diodorum, cuius tamen temporum computandorum rationes in his ipsis rebus tam sunt incertae, ut iure nostro ad solum Xenophontem confugiamus atque ex huius verbis diligenter perpensis, quid quoque anno factum sit, eruere studeamus.

nisi mortem occubuisset? Verum obstant temporis rationes; neque enim in Ol. 96, 4 hoc iter cadit, ut Droyseno visum est, sed, quod supra memoravi, in ver Ol. 97, 2. Itaque aut desperandum est de totius loci explicatione, aut dubitandum num revera Ol. 96, 4 Ecclesiazusae actae sint. Sed haud dubie audacissimi hominis esset, huic soli rei confisum a probabili Petiti ratione recedere; illam autem mihi ansam fuisse in totam rem denuo accuratius inquirendi libere profiteor.

Dolendum est autem, quod eum locum, quo temporis ratio maxime habetur, in usum nostrum convertere propterea non licet, quod de earum rerum quae ibi narrantur tempore omnino nihil constat. Versus dico 814—829:

οὐκ οἶςθ' ἐκεῖν' οὔδοξε, τὸ περὶ τῶν ἁλῶν;
'Ανὴρ Α. ἔγωγε. ΑΝ. Β. τοὺς χαλκοῦς ἐκείνους ἡνίκα
ἐψηφιςάμεθ', οὐκ οἶςθα; ΑΝ. Α. καὶ κακόν γέ μοι
τὸ κόμμ' ἐγένετ' ἐκεῖνο. πωλῶν γὰρ βότρυς
μεςτὴν ἀπῆρα τὴν γνάθον χαλκῶν ἔχων,
κἄπειτ' ἐχώρουν εἰς ἀγορὰν ἐπ' ἄλφιτα.
ἔπειθ' ὑπέχοντος ἄρτι μου τὸν θύλακον
ἀνέκραγ' ὁ κήρυξ μὴ δέχεςθαι μηδένα
χαλκὸν τὸ λοιπόν· ἀργύρῳ γὰρ χρώμεθα.
ΑΝ. Β. τὸ δ' ἔναγχος οὐχ ἅπαντες ἡμεῖς ὤμνυμεν
τάλαντ' ἔςεςθαι πεντακόςια τῇ πόλει
τῆς τετταρακοςτῆς, ἣν ἐπόρις' Εὐριπίδης;
κεὐθὺς κατεχρύςου πᾶς ἀνὴρ Εὐριπίδην·
ὅτε δὴ δ' ἀναςκοπουμένοις ἐφαίνετο,
ὁ Διὸς Κόρινθος καὶ τὸ πρᾶγμ' οὐκ ἤρκεςεν,
πάλιν κατεπίττου πᾶς ἀνὴρ Εὐριπίδην.

De his autem legibus praeter hanc ipsam mentionem nihil prorsus notum est[34]. Itaque non ex his de fabulae tempore, sed ex fabulae tempore de ipsis, quo anno sint latae, docendi erimus.

Alius autem locus, quo temporis ratio habetur, est in versibus 351 sqq.:

ἐμοὶ δ'
ὥρα βαδίζειν ἐςτὶν εἰς ἐκκληςίαν,
ἥνπερ λάβω θοἰμάτιον, ὅπερ ἦν μοι μόνον.

Ad quae Blepyrus:

---

[34]) Cf. Boeckhium Staatsh. I p. 642, Grotium V p. 304, Sievertem 'Geschichte Griechenlands' p. 100 sq.

κἄγωγ', ἐπειδὰν ἀποπατήσω· νῦν δέ μοι
ἀχράς τις ἐγκλῄσασ' ἔχει τὰ σιτία;

Tum ille:

μῶν ἦν Θρασύβουλος εἶπε τοῖς Λακωνικοῖς;

Quo spectat scholiastae haec adnotatio: οὗτος ἀντιλέγειν μέλλων τοῖς Λακεδαιμονίων πρέσβεσι περὶ σπονδῶν ἐληλυθόσιν, εἶτα δωροδοκήσας ἀχράδας προσεποιήσατο βεβρωκέναι καὶ μὴ δύνασθαι λέγειν. In his verbis nihil est quod de eorum fide suspitionem moveat; nam quod simillima de ἀργυράγχῃ Demosthenis apud Gellium narratio est[35]), ex eo nihil concludi potest, nisi aut idem commisisse Demosthenem cum Thrasybulo aut fictum esse de eo idem quod ille fecit. Thrasybulum autem Stiriensem significare scholiastam ex adnotatione ad v. 203* patet, ubi de eodem haec traduntur: οὗτος αὐθάδης καὶ δωροδόκος, ὑπερόπτης ὢν τοῦ δήμου, ἠβούλετο δι' αὐτοῦ πάντα πράττεσθαι. Conferatur praeterea adn. ad Plut. v. 550[36]). Verba autem τοῖς Λακωνικοῖς ita sunt intellegenda: 'commodo Lacedaemoniorum, favens Lacedaemoniis'.

Quando autem legati Lacedaemoniorum Athenas venerunt de pace acturi? Hoc si nobis contigerit eruere, spero fore ut certam inde rationem nanciscamur, qua nisi porro progrediamur. Primum autem hoc constat, agi omnino de bello quod vocatur Corinthiacum, gesto inde ab Ol. 96, 2 usque ad Ol. 98, 1. Quod bellum etsi sat accurate tractatur a Xenophonte, tamen per id tempus de pace umquam actum esse Athenis ille ne verbo

---

35) N. A. 11, 9: 'Critolaus scripsit . . . . legatos ad Demosthenem venisse magnoque opere orasse, uti contra ne diceret; eum pecuniam petivisse et quantam petiverat abstulisse. Postridie, cum res agi denuo coepta esset, Demosthenem lana multa collum cervicesque circumvolutum ad populum prodisse et dixisse, se synanchen pati, eo contra Milesios loqui non quire. Tum e populo unum exclamasse non 'synanchen', quod Demosthenes pateretur, sed 'argyranchen' esse.

36) Falso creditur plerumque Thrasybulus prorsus integris fuisse moribus, rectissimeque Frohbergerus p. 445 ita iudicat: 'Die Komoedie hat mehrfach ihn eigennuetziger und unredlicher Staatsverwaltung beschuldigt, und insbesondere soll er einmal dem Lacedaemonischen Golde nicht unzugaenglich gewesen sein, wie ihn denn der Scholiast des Aristophanes gradezu δωροδόκος nennt. Er war zur Zeit der Dreissig seiner Habe verlustig gegangen, ja sogar von ihnen seines ansehnlichen Vermoegens wegen geaechtet worden und mochte, wenn anders sein Charakter nicht ganz probehaltig war, leicht sich versucht fuehlen, das verlorene wieder zu gewinnen.'

quidem commemorat. Neque tamen satis hoc causae erit, cur scholiastae narrationem spernamus: nam alia quoque ille silentio prorsus praetermisit, de quibus ne lenissima quidem nobis dubitatio est. Velut prorsus simili modo reticuit post pugnam ad Cyzicum commissam legatos Lacedaemoniorum Athenas venisse ut agerent de pace, id quod aperte tradit Diodorus XIII 52[37]. Itaque circumspiciendum, num forte aliunde illi memoriae adminiculum parari possit.

Actum esse per illud tempus Athenis de pace Isocrates quoque testatur duobus locis, qui huc usque non satis esse respecti videntur. Prior exstat in Areopagitico (quam orationem paullo post Ol. 106, 2 scriptam esse constat) § 65: καὶ κατὰ μὲν ἐκεῖνον τὸν χρόνον δεσπότας ἡμῶν ὄντας Λακεδαιμονίους, ἐπειδὴ δ' οἱ φεύγοντες κατελθόντες πολεμεῖν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας ἐτόλμησαν καὶ Κόνων ναυμαχῶν ἐνίκησε, πρέσβεις ἐλθόντας παρ' αὐτῶν καὶ διδόντας τῇ πόλει τὴν ἀρχὴν τὴν τῆς θαλάττης. Eiusdem rei mentio fit Euag. § 67—68: ἔτι δὲ πρὸς τούτοις εἰς ἔχθραν μὲν βασιλεῖ καταστὰς (Εὐαγόρας) οὕτως αὐτὸν ἠμύνετο καλῶς, ὥστ' ἀείμνηστον γενέσθαι τὸν πόλεμον τὸν περὶ Κύπρον, ὅτε δ' ἦν αὐτῷ σύμμαχος, τοσούτῳ χρησιμώτερον αὑτὸν παρέσχε τῶν ἄλλων, ὥσθ' ὁμολογουμένως μεγίστην αὐτῷ συμβαλέσθαι δύναμιν εἰς τὴν ναυμαχίαν τὴν περὶ Κνίδον, ἧς γενομένης βασιλεὺς μὲν ἁπάσης τῆς Ἀσίας κύριος κατέστη, Λακεδαιμόνιοι δ' ἀντὶ τοῦ τὴν ἤπειρον πορθεῖν περὶ τῆς αὑτῶν κινδυνεύειν ἠναγκάσθησαν, οἱ δ' Ἕλληνες ἀντὶ δουλείας αὐτονομίας ἔτυχον, Ἀθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἐπέδοσαν ὥστε τοὺς πρότερον αὐτῶν ἄρχοντας ἐλθεῖν αὐτοῖς τὴν ἀρχὴν δώσοντας. — Hi igitur loci omnino neglecti esse videntur, nisi quod Rauchensteinius ad Areop. § 65 haec adnotavit: 'es scheint eine freilich anderwärts nicht bezeugte Gesandtschaft bald nach der Schlacht bei Knidos gemeint zu sein.' Isocratis enim verba ne credamus ad pacem, quam postea fecit Antalcidas, pertinere, eo prohibemur, quod Lacedaemoniorum legati dicuntur Athenas venisse; de pace vero Antalcidea apud regem Persarum actum est, non Athenis. Porro verba τὴν ἀρχὴν δώσοντας ostendunt, de re coepta cogi-

---

[37]) Quamquam nemo hodie credit a Xenophonte consulto falsa esse narrata, tamen haud raro eum quaedam silentio pressisse, quae erant dicenda, constare videtur. Bene Cauerus (de font. Agesil. p. 6 sq.) exponit, eum rerum vim et gravitatem non eo modulo mensum esse, qui in ipsis conspiceretur, sed qui in Xenophontis mente exstaret.

tari, quae ad exitum non sit perducta. Vnde apparet aliam rem significasse Isocratem. Sed ipsius verbis nihil probatur nisi hoc: venisse per illud tempus legatos Lacedaemoniorum Athenas, ut de pace agerent, sed re infecta rediisse; neque enim vel de anno accuratius definiendo quidquam illinc concludi potest vel de ipsis condicionibus quas obtulerint Lacedaemonii. De anno nihil esse colligendum ex eo apparet, quod tam generaliter orator loquitur, ut eius interesse vix potuerit rationum chronologicarum vestigia curiosius premere: quemadmodum § 65 Areop. expulsorum triginta tyrannorum victoriaeque ad Cnidum reportatae ita mentionem facit, ut nullo interiecto spatio ista se excipere videantur; de condicionibus autem pacis non multum esse concludendum ex eo intellegimus, quod Isocrates cum alibi tum hoc loco adeo res auget atque amplificat, ut prorsus mutatam speciem prae se ferant. Neque enim credendum est Lacedaemonios Atheniensibus ipsum maris principatum concessisse; quod si fecissent, his non fuisset cur pacem tam opportunam repudiarent.

Praeterea etiam tertio loco simile quiddam traditur. In hypothesi enim tertiae orationis Andocideae, quae est de pace cum Lacedaemoniis componenda, haec exstant: τοῦ Ἑλληνικοῦ μηκυνομένου πολέμου, καὶ πολλὰ μὲν Ἀθηναίων κακά, πολλὰ δὲ Λακεδαιμονίων ὑπομεινάντων καὶ τῶν ἑκατέρων ϲυμμάχων, Ἀθηναῖοι πρέϲβειϲ ἀπέϲτειλαν πρὸϲ Λακεδαιμονίουϲ αὐτοκράτοραϲ· ὧν ἐϲτι καὶ Ἀνδοκίδηϲ. τινῶν δὲ προταθέντων παρὰ Λακεδαιμονίων, καὶ ἀποϲτειλάντων κἀκείνων ἰδίουϲ πρέϲβειϲ ἔδοξεν, ὥϲτε εἴϲω τεϲϲαράκοντα ἡμερῶν ἐπιβουλεύϲαϲθαι τὸν δῆμον περὶ τῆϲ εἰρήνηϲ. Excerpta haec verba sunt ex ipsa oratione; paullo autem post ea secuntur, quae summi momenti sunt: Φιλόχοροϲ μὲν οὖν λέγει καὶ ἐλθεῖν τοὺϲ πρέϲβειϲ ἐκ Λακεδαιμονίαϲ, καὶ ἀπράκτουϲ ἀνελθεῖν μὴ πείϲαντοϲ τοῦ Ἀνδοκίδου.

Iam vero priusquam pergam, de ipsa illa oratione agendum erit, quippe quam iam Dionysius Halicarnassensis e numero genuinarum exemerit; illa enim quae modo attuli ab his verbis excipiuntur: ὁ δὲ Διονύϲιοϲ νόθον εἶναι λέγει τὸν λόγον. Similiter is iudicavit, ex quo hausit Harpocratio[38]. Atque ex recentioribus quoque assensi sunt Taylorus[39], Marklandus[40], Hemsterhusius[41],

[38]) Tribus locis, quibus orationis mentio fit, omnibus additum est εἰ γνήϲιοϲ ὁ λόγοϲ; vide voces Ἑλληνοταμία, νεώρια καὶ νεώϲοικοι, Πηγαί. [39]) Lect. Lysiac. VI p. 260. [40]) ad Lys. c. Nicom. p. 451 R. [41]) ad Aristoph. Plut. p. 474.

Manso[42]), alii. Contra illos dixerunt Valckenarius[43]), Boeckhius[44]), Kruegerus[45]), Beckerus[46]), Grotius[47]), Kirchnerus[48]), Curtius[49]), Blassius[50]) cum aliis. Quattuor autem plerumque argumenta proferuntur, quibus suppositam esse hanc orationem demonstretur: primum, nullam fieri eius rei apud Xenophontem mentionem; deinde, in ipsa oratione multos offendere errores; tum, similem locum exstare apud Aeschinem, quem scriptor huius orationis imitatus esse videatur; denique, de fide iam dubitasse Dionysium Halicarnassensem. Verum haec quidem argumenta refutari fere omnia possunt. Sane cur Xenophon totam rem non commemoraverit, non liquet; nihilo minus de eius veritate constat, cum Philochori testimonio confirmetur. Errores autem tales sunt, quales apud Andocidem alii complures inveniuntur. Falsarius autem certe diligentius versatus esset in enarrandis rebus gestis, ut hoc argumento non refutari, sed confirmari videatur eorum sententia, qui orationem Andocidis esse statuunt. Illi autem Aeschinis loci, quos attulerunt critici, ita comparati sunt, ut Aeschinem ex Andocide, non ex Aeschine falsarium[51]) hausisse prorsus pateat, id quod commode Kruegerus et Kirchnerus exposuerunt[52]). Cur autem Dionysius eam exemerit e numero genuinarum, etsi de compluribus rationibus licet cogitare, tamen nondum prorsus liquere profitendum est. Vt paucis totam rem cum Blassio[53]) ita complectar: argumenta, quibus ab Andocide abiudicetur oratio, non solum non satis gravia sunt, sed adeo graviora obstant, quominus de falsario cogitemus[54]). Itaque oratio pro genuina habenda erit.

---

42) Sparta II p. 430. 43) cf. Sluiteri lect. Andoc. p. 205. 44) Staatsh. I² p. 241ᶜ. 45) apud Beckerum p. 251 sqq. 46) in commentatione addita translationi. 47) V p. 273. 48) l. s. s. 49) III p. 198 sq. 50) Att. Beredsamkeit p. 322 sqq. 51) v. Bremium vol. I p. 246—51. 52) in dissertatione, quam supra attuli. 53) l. s. s. p. 325. 54) Ruhnkenius, qui item genuinam esse hanc orationem iudicat, proficiscitur a loco quodam Clementis Alexandrini (Strom. VI p. 747 Pott. p. 139 sq. Dind.); sic enim commentatur in Hist. crit. orat. gr. p. 135 Reisk.: ʻtamen vetustissimus grammaticus libro de scriptorum furtis, quem Clemens Alexandrinus nihil similem furti actionem veritus compilavit Strom. VI p. 747, illam ut Andocidis agnovit et laudavit.’ Sed fallitur Ruhnkenius; neque enim ex Hippiae illius libro, quem de scriptorum furtis composuerat, ea quae secuntur Clemens hausit, sed de suo addidit eiusdem rei exempla. Verba enim haec sunt: Ἰcοκράτουc τε αὖ εἰπόντοc ʻδεῖ δὲ τὰ μέλλοντα τοῖc προγεγενημένοιc τεκμαίρεcθαι’ Ἀνδοκίδηc οὐκ ὀκνεῖ λέγειν ʻχρὴ γὰρ τεκμηρίοιc χρῆcθαι τοῖc πρότερον γενομένοιc περὶ τῶν

Nunc vero licebit ad quaestionem supra incohatam redire. Lacedaemonios igitur legatos Athenas misisse, qui de pacis condicionibus agerent, Philochorum quoque testari vidimus. Quales eae fuerint, docemur Andocidis oratione: ut omnes Graeci si vellent pacis essent participes singulaeque civitates suo iure uterentur, deinde ut Lacedaemonii de maris imperio desisterent, Atheniensibus autem muros restituere navesque parare quotcumque vellent liceret, eidemque ut Lemnum, Imbrum, Scyrum insulas possiderent[55]). Quae condiciones satis conveniunt in verba Isocratis; nam hic et illic αὐτονομία civitatibus conceditur; hic et illic Lacedaemonii maris imperium renuntiant, nisi quod Isocrates non prorsus recte Lacedaemonios Atheniensibus obtulisse principatum dicit. Quodsi ille singulas res non deinceps enumerat, sed earum summam tantum paucis complectitur, facile inde veniam habet, quod orator est, non rerum scriptor. Nec ea, quae scholiastam Aristophanis adnotasse memoravi, horum dissimilia esse crediderim; nam quamquam ibi de condicionibus nihil dicitur, tamen eodem modo Lacedaemone legatos de pace acturos venisse, pacem autem non impetravisse narratur. Neque igitur audacius progredi mihi videor, si tres illas res inter se sociatas pro una habuero. Hoc enim nisi facimus, omnino non habemus quo scholiastae verba referamus.

Circumspicientibus autem nobis, quando id factum esse statuamus, hoc reputandum est: vere Ol. 96, 4 Antalcidam ad regem esse profectum, ut pacem ab eo et Lacedaemoniis ceterisque Graecis impetraret condicionibus Atheniensibus adeo non secundis, ut statim eas repudiarent. Iam si quis putet legatos illos anno ante Athenas venisse, vix id recte faciat; neque enim veri simile est paullo ante meliores eos condiciones proposuisse, cum eorum res inde a pugna Cnidia peiores semper, non meliores fierent. Sed dirimitur tota quaestio eo, quod orationis Andocideae tempus accurate definire licet. Ibi enim § 20 haec leguntur: νῦν δὲ τεθνεώτων μὲν αὐτοῖς (Βοιωτοῖς) ἀνδρῶν τοσούτων τὸ πλῆθος, τῆς δὲ γῆς ἐκ μέρους τινὸς τετμημένης, χρήματα δ'

μελλόντων ἔσεσθαι'. Extant autem haec verba in principio orationis περὶ εἰρήνης. Clemens igitur Isocratem ante Andocidem floruisse putat, ut paullo post Lysiam quoque Isocratem compilasse refert, quod quamquam fieri potuisse non prorsus negari potest, tamen a temporum rationibus, probabilitatem si sequimur, vix commendatur.

[55]) § 14. [56]) §§ 14. 15.

εἰϲενηνοχότεϲ πολλὰ καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοϲίᾳ, ὧν ϲτέρονται, πολεμήϲαντεϲ δὲ ἔτη τέτταρα, ὅμωϲ Ὀρχομενὸν ἀφέντεϲ αὐτόνομον τὴν εἰρήνην ποιοῦνται καὶ ταῦτα μάτην πεπόνθαϲιν. Bellum autem Corinthiacum cum exarserit Ol. 96 anno primo exeunte vel ineunte altero, simplicissimo calculo ad annum Ol. 97, 1 exeuntem vel ineuntem alterum deducimur. Sic iam Clintonus rectissime iudicavit; assensi sunt Grotius[57]), Kirchnerus[58]), Curtius[59]), alii. Frustra adversatur Kruegerus[60]), qui res, quas gestas esse commemorat Andocides, falso transfert in Ol. 96, 4. Ceterum de tota hac quaestione conferatur Kirchneri dissertatio, qui omnia bene diligenterque tractavit. Praeter Kruegerum Blassius quoque a ratione Clintonis discedens orationem posteriore parte Ol. 97, 2 habitam esse contendit; sed quo nititur fundamento, debilius est quam quo Clintonis simplicissima definitio refellatur. Scribit enim haec[61]): 'sodann schützten sich die Argiver grade zu jener Zeit vor den Einfällen der Lacedaemonier mit den heiligen Monaten, während 391 Agesilaus, ohne dass sie diesen Einwand versuchten, ihr Land verheerte, und 388 Agesipolis mit Nichtachtung desselben einen neuen Einfall machte'[62]). Illa enim expeditio cadit in priorem partem anni 391: Agesipolis per aestatem et autumnum anni 388 fines Argivorum vastasse videtur; quo tempore cum praetenderent dies festos, per quos non liceret in ipsorum fines irrumpere, quidni aestate vel autumno anni 391 eodem modo illos se tutatos esse credemus? Quae cum ita sint, non dubito quin oratio pertineat ad priorem partem Ol. 97, 2[63]).

Haec si probabiliter disputavisse videor, novum nacti sumus argumentum quod Petiti sententiam dissuadeat. Nam scholiastae

---

57) V p. 273. 58) l. s. s. 59) III p. 198 sqq. 60) l. s. s.

61) l. s. s. p. 282.

62) Profectus est ab his Andocidis verbis: ϲκεψώμεθα δὴ καὶ τοὺϲ Ἀργείων λόγουϲ· κελεύουϲι γὰρ ἡμᾶϲ κοινῇ μετὰ ϲφῶν καὶ μετὰ Κορινθίων πολεμεῖν, αὐτοὶ δ' ἰδίᾳ εἰρήνην ποιηϲάμενοι τὴν χώραν οὐ παρέχουϲι πολεμεῖν; et paullo post: πατρίαν δὲ εἰρήνην ὀνομάζοντεϲ ᾗ χρῶνται, τοῖϲ δὲ ἄλλοιϲ Ἕλληϲιν οὐκ ἐῶϲι πατρίαν γενέϲθαι τὴν εἰρήνην. Vide Xenoph. Hell. IV, 4, 19 et 7, 2 sq.; cf. Grotium V p. 284 sq. Tota haec causa nondum satis explorata atque explanata est.

63) Praeterea ipsa temporum ratio Blassio obstat; quod cum ipse sentiret, huc artificii progressus est, ut oratorem et anni 395 posteriorem partem et anni 390 priorem omnino ad calculos non vocasse diceret. Vid. apud eum Addenda ad p. 282 (p. 663).

verba si revera spectant ad illam de qua dixi rem, de anno quarto Ol. 96 actum est.

Iam vero ad tertium argumentum veniendum est, quod ut recte perspiciatur, necesse est rei publicae Atheniensium statum, qualis Ol. 96, 4 fuisse putandus sit, paucis describam.

Ex quo socii bellum contra Lacedaemonios susceperant, parum feliciter pugnaverant, trepidabantque iam res eorum, cum repente Cono praeclaris factis suis omnia in meliorem locum restituit. Is enim Lacedaemoniorum classe ad Cnidum plane devicta vere Ol. 96, 3 in ipsam Graeciam profectus hostes bello pressit; aestate autem Ol. 96, 4 classe octoginta navium Athenas appulit ibique muros, quos paucis annis ante rescindere coacti erant Athenienses, Persicis maxime subsidiis reficiendos curavit[64]); undique convenerunt socii, ut hoc opus adiuvarent; nec potuerunt obstare Lacedaemonii, cum ipsi bello ad Isthmum tenerentur. Tandem Athenae ex malis paullulum emergere coeperunt; quanti autem eam ob rem Cononem cives aestimaverint, facile conicias; non modo columnae[65]) eius facinora inscripta sunt, sed etiam statua[66]) in eius honorem posita, qua ad posteros victoris gloria propagaretur; ipse autem diebus festis splendidissime institutis auream coronam[67]) in Acropoli dedicavit templumque in deae Cnidiae honorem exstruxit, quod Pausanias quinque post saeculis etiamtum vidit in Piraeo[68]). Oratores vero, quam diu stetit urbis libertas, hoc factum laudibus extollere non desierunt.

Iam igitur in viam, unde deflexit oratio, revertor. In versibus 102—104 haec exstant:

---

[64]) Hell. IV, 8, 10: ὁ δὲ (Κόνων) ἀφικόμενος πολὺ τοῦ τείχους ὤρθωσε, τὰ δὲ αὑτοῦ πληρώματα παρέχων καὶ τέκτοσι καὶ λιθολόγοις μισθὸν διδούς, καὶ ἄλλο εἴτι ἀναγκαῖον ἦν δαπανῶν. ἦν μέντοι τοῦ τείχους ἃ καὶ αὐτοὶ Ἀθηναῖοι καὶ Βοιωτοὶ καὶ ἄλλαι πόλεις ἐθελούσιαι συνετείχισαν.

[65]) Demosth. in Lept. p. 477: καὶ γάρ τοι μόνῳ τῶν πάντων αὐτῷ τοῦτ᾽ ἐν στήλῃ γέγραπται· 'ἐπειδὴ Κόνων' φησίν 'ἠλευθέρωσε τοὺς Ἀθηναίων συμμάχους'.

[66]) Ibid. p. 478: ἀλλὰ καὶ χαλκῆν εἰκόνα ὥσπερ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος ἔστησαν πρώτου.

[67]) Id. c. Androt. p. 616: πάλιν 'Κόνων ἀπὸ τῆς ναυμαχίας τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους', τοιαῦτα γὰρ ἦν τὰ τῶν στεφάνων ἐπιγράμματα. Praeterea conferatur Athenaeus I p. 3 d: Κόνων δὲ τῇ περὶ Κνίδον ναυμαχίᾳ νικήσας Λακεδαιμονίους καὶ τειχίσας τὸν Πειραιᾶ, ἑκατόμβην τῷ ὄντι θύσας καὶ οὐ ψευδωνύμως, πάντας Ἀθηναίους εἱστίασεν.

[68]) Pausan. I, 1, 3.

ʼΑγύρριος γοῦν τὸν Προνόμου πώγων᾽ ἔχων
λέληθε· καίτοι πρότερον ἦν οὗτος γυνή·
νυνὶ δ᾽, ὁρᾷς, πράττει τὰ μέγιστ᾽ ἐν τῇ πόλει:

haec autem v. 183—188:

ἐκκλησίαισιν ἦν ὅτ᾽ οὐκ ἐχρώμεθα
οὐδὲν τὸ παράπαν· ἀλλὰ τόν γ᾽ ʼΑγύρριον
πονηρὸν ἡγούμεσθα· νῦν δὲ χρωμένων
ὁ μὲν λαβὼν ἀργύριον ὑπερεπήνεσεν κτἑ.

Ex his igitur versibus apparet, quo tempore fabula acta est, summa in urbe auctoritate Agyrrhium pessimum demagogum fuisse. Hocine fieri potuit Ol. 96, 4, quippe quo anno Cono Athenis degeret gloriaque sua ceteros prorsus praegravaret? Sed alius est sane annus, quo ille potestate maxime floruerit, qui fuit tertius Ol. 97; nam cum circa idem tempus Thrasybulus ab Aspendiis interfectus esset, ipse in eius locum substitutus est, quode vide Xenoph. Hell. IV, 8, 31: καὶ Θρασύβουλος μὲν δὴ μάλα δοκῶν ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι οὕτως ἐτελεύτησεν· οἱ μέντοι ʼΑθηναῖοι ἑλόμενοι ἀντ᾽ αὐτοῦ ʼΑγύρριον ἐπὶ τὰς ναῦς ἔπεμψαν. Eiusdem rei apud Platonem quoque comicum mentio fit (Fragm. com. I p. 161 Mein.), qui Δῆμον Aristophanis exemplo ita loquentem inducit:

λαβοῦ λαβοῦ τῆς χειρὸς ὡς τάχιστά μου·
μέλλω στρατηγὸν χειροτονεῖν ʼΑγύρριον.

In hoc igitur tempus optime cadit, quod Praxagora dicit:

νυνὶ δ᾽, ὁρᾷς, πράττει τὰ μέγιστ᾽ ἐν τῇ πόλει.

Scholiasta de Agyrrhio haec habet: ὁ ʼΑγύρριος στρατηγὸς θηλυδριώδης, ἄρξας ἐν Λέσβῳ· καὶ τὸν μισθὸν δὲ τῶν ποιητῶν συνέτεμνε, καὶ πρῶτος ἐκκλησιαστικὸν δέδωκεν. Huc autem illud accommodare licet quod Palmerius statuit: propterea, quod in Pluto prorsus simili modo Agyrrhius irrideatur, hanc fabulam aetate non multum ab illa distare videri. Ibi enim haec leguntur v. 176:

ʼΑγύρριος δ᾽ οὐχὶ διὰ τοῦτον πέρδεται;

ubi διὰ τοῦτον est διὰ τὸν πλοῦτον. Itaque tum quoque viguit floruitque opibus[69]). Iam vero huc etiam illa commode adsciscentur, quae de Aristullo deque Neoclide Palmerius scripsit: quae, etsi ab eis proficiscendum esse negavi, tamen ad persuadendum certe faciunt[70]).

---

[69]) Thrasybulus mortuus est Ol. 97, 3; Plutus edita anno post.

[70]) Vid. supra p. 336.

Quartum denique, quod contra Petitum moneri potest, hoc est, quod universa Ecclesiazusarum indole atque ratione non commendatur Ol. 96 annus 4. De statu enim rei publicae, qualis eo anno fuisse videatur, iam disserui; eodem autem anno Praxagoram talia dixisse credendum esset v. 174 sqq.:

.... ἄχθομαι δὲ καὶ φέρω
τὰ τῆς πόλεως ἅπαντα βαρέως πράγματα.
ὁρῶ γὰρ αὐτὴν προστάταισι χρωμένην
ἀεὶ πονηροῖς· κἄν τις ἡμέραν μίαν
χρηστὸς γένηται, δέκα πονηρὸς γίγνεται·
ἐπέτρεψας ἑτέρῳ· πλεῖον' ἔτι δράσει κακά.

Haecine fieri poterant, cum Cono Athenis versaretur? Sed ne hoc quidem satis est: versu enim 109 Praxagora necesse esse dicit mulieres rem publicam propter hanc causam capessant:

νῦν μὲν γὰρ οὐδὲ θέομεν οὔτ' ἐλαύνομεν.

Hoc autem dicere Aristophanem tempore post multos casus felicissimo potuisse fidem prorsus excedit. Nam quamquam multum abest ut, quaecunque per iocum comicus poeta profert, continuo cum rerum veritate concilianda putem, tamen etiam in hoc genere esse modum tenendum arbitror.

His igitur rationibus nisus magnopere dubitandum esse contendo, num revera ad Ol. 96, 4 Ecclesiazusae pertineant. Quo si accedit ut certum indagare annum contingat, in quem omnia quae commemoravi commode conveniant, spero fore ut fides disputationis meae non mediocriter augeatur.

Circumspicientibus autem nobis atque cogitantibus, num in promptu sint, unde apte proficiscamur in ea quam instituimus quaestione, tres imprimis sese res offerunt, quibus omnis dubitatio tollitur. Andocidis enim oratio habita est Ol. 97, 1 exeunte vel ineunte Ol. 97, 2; unde consequitur ut ante ver Ol. 97, 2 Ecclesiazusae actae esse non possint. Deinde ex eo, quod Thrasybuli[71]) etiamtum vivi mentio fit, apparet, non post ver Ol. 97, 3 actam esse fabulam. Denique si re vera versus 202—203

---

[71]) Thrasybulum Ol. 96, 3 videri exercitui Atheniensi praefuisse, qui ad Corinthum a Lacedaemoniis plane devictus est, viri docti coniecerunt ex Lysiae or. XVI, 15. Deinde per complures annos eius nulla mentio fit, quibus iacuisse videtur Conone tunc in urbe vigente. Post huius demum discessum rursus auctoritate crevisse videtur. Anno altero Ol. 97, aestate, dissuasit pacem Andocideam, quamquam pecuniae Lacedaemoniorum non resistens; vere anni insequentis classi quadraginta na-

σωτηρία παρέκυψεν· ἀλλ' ὁρίζεται
Θρασύβουλος αὐτὸς οὐχὶ παρακαλούμενος

spectant ad expeditionem Thrasybuli vere Ol. 97, 2 susceptam, de solo vere Ol. 97, 3 cogitare licet, vel potius de Lenaeis eiusdem anni, quo probabiliter referri Ecclesiazusas vidimus.

Nunc vero nova tractanda quaestio haec est, quo modo scholiastae verba ea quae supra attuli, a quibus quidem Petitus et qui eum secuti sunt profecti de Ol. 96, 4 cogitarunt, cum hac temporis definitione congruere videantur. Didascalia autem niti scholiastae rationem cum apparuerit, nonne ita id ipsum refutatur quod modo proposui? Videtur id sane ita esse: sed videtur tantum. In didascalia enim talia exstitisse necesse est: ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Δημοστράτου. Nam eum archontem fuisse Ol. 96, 4 docet Diodorus.[72]) Sed alterius illius anni archon quis fuit? Eiusdem Diodori[73]) verba si inspexeris, etiam anni Ol. 97, 3 fuisse Demostratum archontem intelleges. Iam omnia patent: scholiasta cum in didascalia archontem Demostratum invenisset, vel de illo vel de hoc anno cogitare poterat; cogitavit de Ol. 96, 4, atque hinc omnes qui hucusque circumferebantur[74]) errores fluxerunt. Iam vero tempora prorsus erant immutata. Cono[75])

---

vium praepositus est. Itaque ne hac quidem ex parte commendatur Ol. 96, 4, quippe quo anno vix probabile sit eum tanta auctoritate floruisse, quanta florentem eum haec fabula facit.

[72]) XIV, 94. [73]) XIV, 99.

[74]) Quodsi in nonnullis didascaliis velut Vesparum (ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια ἐν τῇ πθ' ὀλυμπιάδι) olympiadis numerus additus est, hanc annorum definitionem posterioris temporis esse notum est. Nec obstat, quod simili in causa haud raro eius addi nomen solebat qui antecessit (velut ad Lysistr.: ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος τοῦ μετὰ Κλεόκριτον ἄρξαντος): neque enim contraria desunt exempla velut in schol. ad Lysistr. v. 173 de eadem re: ἤρξαντο οὖν κινεῖν αὐτὰ ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος, ἐφ' οὗ εἰςήχθη τὸ δρᾶμα. Similes errores quosdam, quamquam non prorsus pares, notavit Arnoldus Schaeferus 'de rerum post bellum Persicum usque ad tricennale foedus in Graecia gestarum temporibus' p. 8. Prorsus autem parem lapsum Hauptius detexit de anno natali Lucilii: cf. L. Muelleri edit. p. 289; atque Lachmannus quoque simile vitium sustulit: vid. Hauptii Quaest. Catull. p. 15.

[75]) Cononem e vinculis liberatum incolumem evasisse apparet ex Lysiae orat. XIX § 39; atque veri simile est Struthae eum auxilio usum esse. Athenas autem non rediit, sed Cypri apud Euagoram versatus est, donec circa Ol. 97, 4 fato concederet: cf. Isocr. Panegyr. 154, Xenoph. Hell. IV, 8, 16 sqq., Diod. XIV, 85, Nep. Con. 5.

non iam versabatur Athenis, sed Cypri apud Euagoram regem, ubi paullo post obiit; una autem cum eo spes intercidit, fore ut ex Cnidia victoria rursus ad illud gloriae fastigium et potestatis escenderent, quod olim in Graecia Athenienses obtinuerant. Vt enim ille quasi viam, quae ad magnitudinem duceret, munivit civesque ea uti auctoritate sua paullisper coegit, ita, simulatque eis dux esse ipse desiit, partim pedem retardaverunt, partim in alias ac peiores vias se verterunt. Penes quem enim post Cononem summa in urbe auctoritas fuit, Thrasybulus Stiriensis, quamvis bene de re publica meritus esset ut ingenio ac virtute haud mediocriter instructus, tamen non talis fuit qui Cononis locum omni ex parte expleret. Nihilo vero minus adeo arrogantiae et superbiae videtur progressus esse, ut ex suo arbitrio omnia pendere putaret, quae autem populus iuberet, contemneret.

Per hoc autem tempus accidit, ut Athenienses nuntio allato, Teleutiam in mari Aegaeo decem naves, quas Euagorae auxilio miserant, oppressisse, magnopere commoverentur, quippe qui inde a Cnidia pugna non dubitavissent quin in ipsorum manibus maris imperium positum esset. Iam necesse erat naves exstrui copiasque cogi. Quodsi reputamus paucis ante annis vix unam illos triremem habuisse, haud mediocriter mirabimur quod repente classem quadraginta navium paraverunt ad res in mari Aegaeo restituendas: facile autem credemus permolestas singulis civibus trierarchias fuisse, cum suam quisque tunc magis quam rei publicae salutem curaret. Itaque optime in hoc ipsum tempus cadere videtur, quod poeta versibus 197—198 dicit:

ναῦϲ δεῖ καθέλκειν· τῷ πένητι μὲν δοκεῖ,
τοῖϲ πλουϲίοιϲ δὲ καὶ γεωργοῖϲ οὐ δοκεῖ.

Vere Ol. 97, 2 suscepta est illa expeditio, cui Thrasybulus praefuit; qui quamvis in mari Thracico multa praeclare ageret, tamen mox ob superbiam in summam populi invidiam incidisse videtur: fortasse ob id ipsum, quod suum ipsius arbitrium secutus in mare Thracicum profectus est, non Rhodum, in quam missus erat insulam. Huc igitur commode referentur versus 202—203:

ϲωτηρία παρέκυψεν· ἀλλ' ὀρίζεται
Θραϲύβουλοϲ αὐτὸϲ οὐχὶ παρακαλούμενοϲ.

Iam vero redire ad versus 193—196 licebit:

τὸ ξυμμαχικὸν αὖ τοῦθ' ὅτ' ἐϲκοπούμεθα

εἰ μὴ γένοιτ', ἀπολεῖν[76]) ἔφασκον τὴν πόλιν·
ὅτε δὴ δ' ἐγένετ' ἤχθοντο, τῶν δὲ ῥητόρων
ὁ τοῦτ' ἀναπείσας εὐθὺς ἀποδρὰς ᾤχετο.

Quae verba quam non quadrent in illud foedus, quod Ol. 96, 2 contra Lacedaemonios factum est, si referamus fabulam ad Ol. 96, 4, supra iam exposui. Multo autem minus scholiastae sententia ei probabitur, qui de Ol. 97, 3 cogitat, cum verba τὸ ξυμμαχικὸν αὖ τοῦθ' κτἑ. necesse sit ad rem pertineant, quae e temporum rationibus propius ad Ol. 97, 3 accedat. Dolendum certe est, quod universum temporis spatium illud non sat accurate cognitum habemus: quod cum ita sit, scholiasta non aliter refutari potest, nisi ut eius coniecturae certe improbabili probabilior opponatur.

Ex toto autem nexu sententiarum apparet foedus de quo agitur initio spem magni commodi obtulisse Atheniensibus, quae cum mox ad irritum caderet, irascebantur eis qui illud maxime suaserant. Sed circumspicientibus nobis, quo illa verba referamus, commodissime accidit, quod Athenienses scimus per ipsum illud tempus cum Euagora Cypri rege societate coniunctos fuisse, quae satis difficultatum et molestiarum eis parare coepit.

Euagoras enim auxilio, quod in Cnidia pugna tulerat, de Atheniensibus quoque tam bene meritus erat, ut ne tum quidem, cum inter ipsum et Persas bellum exardesceret, eum desererent. Autumno igitur Ol. 97, 2 decem naves Philocrate duce auxilio ei miserunt, quas tamen, antequam ad illum pervenirent, in itinere intercepit Lacedaemoniorum dux Teleutias. Conferenda sunt de hac re ipsius Xenophontis verba Hell. IV, 8, 24: οἱ .... Ἀθηναῖοι φίλῳ χρώμενοι βασιλεῖ συμμαχίαν ἔπεμπον Εὐαγόρᾳ τῷ πολεμοῦντι πρὸς βασιλέα. Vnde apparet, quantis hac societate difficultatibus non potuerint non implicari Athenienses. Vtrum autem ad primam illam expeditionem poetae verba spectent an ad aliam, non licet pro certo definire. Similem ob causam anno 389 Nicophemus eiusque filius Aristophanes in carcerem coniecti et capitis damnati esse videntur, quo de vide sis quae Rauchensteinius in praefatione XIX orationis Lysianae exposuit. Quis ille fuerit, quem dicat poeta v. 196, non liquet. Verba autem ipsa

[76]) Pro ἀπολεῖν restitui voluit Hirschigius ἀπερεῖν, Bergkius ἀπολεῖσθ'. Sed recte Meinekius Vind. p. 188: 'quod libri habent, tantundem est ac si dixisset poeta τὸ μὴ γενέσθαι τὴν συμμαχίαν ἀπολεῖν τὴν πόλιν.'

sic videntur explicanda esse: 'cum nuper de auxilio (Euagorae) ferendo consuleremus, urbem perituram esse aiebant, nisi id fieret.' Sic certe aliquam viam nacti sumus, qua illa verba intellegamus; probabiliora si quis proponet, libenter in eius sententiam ibimus.

Eodem autem tempore Athenis deterrimus demagogus Agyrrhius rerum summam tenuisse videtur, cum iam nemo esset qui eius insolentiam reprimeret. Qui quo populum sibi obnoxium redderet, multitudinem ita allexit, ut stipendium augeret, quod singulis dari solebat cum in contionem veniebant. In eum cadunt praeter eos quos iam attuli versus maxime hi 206—208:

τὰ δημόςια γὰρ μιςθοφοροῦντες χρήματα
ἰδίᾳ cκοπεῖcθ' ἕκαςτος ὅτι τις κερδανεῖ·
τὸ δὲ κοινὸν ὥςπερ Αἴςιμος κυλίνδεται.

Nam illo auctore haec vitia tantopere increbruerunt. Atque is ne solus quidem rem publicam turbavit, sed a pessimo quoque videtur adiutus esse: quales fuere Cephalus[77]), Neoclides[78]), Euaeon[79]). Iam igitur fuit, cur ita quereretur Praxagora:

νῦν μὲν γὰρ οὔτε θέομεν οὔτ' ἐλαύνομεν[80]).

Haec igitur cum essent eiusmodi, cum res publica idoneum ducem nullum ac pro ducibus adversarios potius et corruptores haberet, res externae trepidarent, internae in dies magis tabescerent, publica commoda nemo, sed sua quisque sequeretur, cum denique fere nulla via relicta esse videretur qua emergeret urbs ex tantis calamitatibus, ibi poeta genio indulgens ea festivitate, sub qua latebat summa gravitas, mulieres tandem rei publicae miserentes inducit novamque rerum speciem ab eis institutam lepide nobis ante oculos ponit. Quod argumentum unde poeta hausisset, accurate inquisiverunt interpretes, visumque est hoc quoque ad temporis definitionem pertinere. Fuerunt enim qui Ari-

---

[77]) Vide de eo quae scholia referunt = δημαγωγὸς οὗτος ἕτερος, οὐχ ὃν λέγει Δημοςθένης, ἀλλὰ λοίδορος. Eius patrem figulum fuisse apparet ex adn. ad v. 253: ἀπὸ κοινοῦ τὸ κεραμεύειν, ἀντὶ τοῦ κατεργάζεςθαι. ἦν δὲ κεραμέως πατρὸς ὁ Κέφαλος.

[78]) Schol. ad v. 254: Κοκλείδης ὁ γλάμων: ἐκωμῳδεῖτο ὡς cυκοφάντης καὶ ξένος καὶ κλέπτης.

[79]) De hoc prorsus nihil notum est.

[80]) Est proverbium quoddam, ut docet scholiasta ad v. 109: παρὰ τὴν παροιμίαν

ὅκ' ἀργύριον ᾖ, πάντα θεῖ κἀλαύνεται·

ὃ ἐςτιν οὔτε ἀνέμοις οὔτε κώπαις πλέομεν.

stophanem dicerent Platonis Rempublicam derisisse [81]). Rectissime autem Zastra aliique hoc fieri omnino non potuisse ostenderunt, cum Platonis illos libros veri simile sit vix ante Ol. 98, 1 in lucem editos esse. Alii contra ita rem dirimere studebant, ut 'ex auditorum publica confabulatione Aristophanem deridendi materiam hausisse' putarent [82]). Verum quid omnino talibus coniecturis opus est? Nimirum illa aetate cum homines omnia, divina aeque atque humana, in quaestionem vocare coepissent, tales quoque non defuerunt, qui de mulierum sorte quomodo melior fieret cogitarent postularentque ut uxores eodem quo viri iure essent. Id nos profecto, qui talia hodie agitari satis superque videmus, non ita magnopere mirabimur. Sed hoc utcumque se habet, ad temporis definitionem, id quod quibusdam visum est, ex tali certe argumento concludi nihil potest.

Totius igitur quae praecedit disputationis nostrae summam ut paucis complectamur: Ecclesiazuson fabula non est olymp. 96 anno 4 in scaenam commissa, sed, si probabiliter esse argumentati videbimur, proximae demum olympiadis 97 anno tertio tribuenda.

Epimetrum I.

Eccles. v. 21—23 nunc haec leguntur:

— καταλαβεῖν δ᾽ ἡμᾶς ἕδρας,
ἃς Φυρόμαχός ποτ᾽ εἶπεν, εἰ μέμνησθ᾽ ἔτι,
δεῖ τὰς ἑτέρας πως κἀγκαθεζομένας λαθεῖν.

Pro Φυρόμαχος libri habent Σφυρόμαχος; — ἑτέρας ed. Iuntina a. 1515, ubi libri ἑταίρας; — πως κἀγκαθεζομένας λαθεῖν Scaliger et Bentleius; — πως κωλαθιζομένας λαθεῖν Ravennas, καθαγιαζομένας alii libri; — κἀγαθιζομένας omisso πως Aldina.

Rectissime Meinekius de his versibus ita iudicat: 'res ipsa quam tangit poeta, perobscura est ac vix umquam plena luce illustrabitur.' — Quodsi nihilo minus tentare illa verba audeo, eo

---

81) Bisetus in fine argumenti Eccles.; adde Morgensternii 'de Platonis Republica comment. tres' p. 73—78.

82) Sic Stallbaumius prolegom. p. 73—74, Rankius in vita Aristoph. apud Meinekium p. 49.

sum studio ductus, ut pro scriptura, quae sensu prorsus carere videtur, talem proponam, quae saltem aliquem sensum praebeat per se haud improbabilem.

Scholia ad hos versus spectantia duobus locis diremptа exstant: ad v. 1 et ad v. 22. Ad v. 22 haec adnotata sunt: γράφεται ὡς Κλεόμαχος. καί φαϲι Κλεόμαχον τραγικὸν ὑποκριτήν. οὗτοϲ φαίνεται ὑποκρινόμενόϲ ποτε εἰρηκέναι ἕδραϲ ἐν δράματι καὶ ἐϲκώφθη διὰ τὸ κακέμφατον. ὁ δὲ Cφυρόμαχοϲ ψήφιϲμα εἰϲηγήϲατο, ὥϲτε τὰϲ γυναῖκαϲ καὶ τοὺϲ ἄνδραϲ καθέζεϲθαι. καὶ τὰϲ ἑταίραϲ χωρὶϲ τῶν ἐλευθέρων. Ad v. 1 autem: Πραξαγόρα δὲ λύχνον ἔχουϲα προέρχεται. Et haec quidem ad v. 1 pertinent; cetera non dubito quin falso huc sint transposita: ὑποπτεύεται δὲ ὁ ἴαμβοϲ ἢ τοῦ Ἀγάθωνοϲ ἢ τοῦ Δικαιογένουϲ διὰ τὰϲ ἑταίραϲ ἐγκαθιζομέναϲ. ὃ πρὸϲ οὐδὲν εἶπεν, ἀλλὰ μόνον ὅτι τὰϲ ἑταίραϲ δεῖ πωϲ. βούλεται δὲ εἰπεῖν, ὅτι τοὺϲ ἄνδραϲ προλάβωμεν εἰϲ τὴν ἐκκληϲίαν.

Haec scholia licet in quattuor partes discernere. Quidam scribere malebant Κλεόμαχοϲ; is autem traditur fuisse actor tragoediarum et pronuntiasse aliquando cum ἕδραϲ diceret hanc vocem ita ut cacemphaton evaderet. Alii scripturam Cφυρόμαχοϲ praeferebant (nam cur ab hac forma nominis, quae etymologia bene defenditur, discedamus, iustam causam non video), quem dicunt legem tulisse, qua mulieres et viri, ingenuae ac meretrices (puta in theatro) secernerentur. De hac re confidenter loquitur scholiasta, cautius de illa; unde factum est, ut plerique viri docti in alteram sententiam, ex qua Cφυρόμαχοϲ scribitur, irent. Sed qualis est verborum nexus? 'necesse est nos occupemus sedes, quas Sphyromachus nobis, vel viris, vel meretricibus, vel cuivis assignavit.' Quid, quaeso, theatrum ad contionem? nisi forte cum Passovio facimus, qui in Diar. antiq. stud. a. 1857 p. 245 haec excogitavit: 'dieses Psephisma, welches offenbar auf die Plätze im Theater ging, wendet Praxagora, die ja auch aus der Volksversammlung eben ein sehr interessantes Schauspiel machen will, auf die Pnyx an.' Tum autem verbis εἰ μέμνηϲθ' ἔτι rei mentio fit, cui ipsae interfuerant mulieres; qui igitur poterant contioni interesse, qua illa lex lata est? Itaque ad prius scholion deducimur. Athenienses enim satis severos in his et similibus rebus iudices fuisse sat notum est; neque minus constat Aristophanem quoque actores in fabulis perstrinxisse, si in pronuntiandis verbis peccassent: id quod accidit He-

gesilocho teste Ranarum versu 303. Quodsi Passovius dicit propter verba οὗτος φαίνεται prius scholion non esse premendum, in eo errat. Mihi contra idem ille scholiasta, cui debetur legis illius mentio, φαίνεται propterea scripsisse videtur, quod illam adnotationem non accurate perspexit; legem autem Sphyromachi, quam fortasse melius cognitam habebat, propterea tatulit, quod in his ipsis verbis de secernendis sedibus agi putaret; atque veri simile est eidem deberi Cφυρόμαχος scripturam. Contra quomodo in alteram illam narratiunculam quispiam incidere potuerit, id parum me assequi profiteor. Cui sententiae non obstat, quod non satis patet, qui iocus sub illis verbis lateat. Cleomachus fortasse in continuitate verborum ἕδρας vocem aut tam male pronuntiaverat aut ita cum alia voce coniunxerat, ut ridiculus sensus evaderet; fortasse id ipsum est respiciendum, quod ἕδρας nates quoque significat. Quod quocumque modo se habet, obscuritas rei causa non est, cur ipsam repudiemus; Athenienses enim quid vellet poeta ilico intellegebant, cum res significaretur, quam consentaneum est eos in memoria habuisse. Fortasse aliis continget ut plus eruant. — Nunc igitur de verbis:

. . . καταλαβεῖν δ' ἡμᾶς ἕδρας,
ἃς Κλεόμαχός ποτ' εἶπεν, εἰ μέμνησθ' ἔτι,
δεῖ

constare videtur; sed quae insecuntur, multo maiores nobis difficultates obiciunt. Fuerunt qui propter verba τὰς ἑταίρας Aristophanem dicerent Praxagoram ita finxisse, ut se reliquasque mulieres iocose cum meretricibus compararet. Audias Vossii translationem:

. . . . . und die Versammelung
Ist gleich, dass unsre Sitze wir einnehmen dort,
Wovon Sphyromachus einst gesagt, wenns euch gedenkt;
Lustmädchen ziemt mitsitzend auch unbemerkt zu sein.

Hoc autem et totam meretricum comparationem nugas esse, quae ne speciem quidem haberent probabilitatis, optime iam exposuit Dindorfius (Commentar. Beck. t. VI p. 637). Ipse autem ita scribit:

καταλαβεῖν δ' ἡμᾶς ἕδρας,
ἃς Φυρόμαχός ποτ' εἶπεν, εἰ μέμνησθ' ἔτι,
δεῖ τὰς ἑτέρας πως κἀγκαθεζομένας λαθεῖν.

Ad quae ille hoc adnotavit: 'quae res his verbis spectetur, sic nihilo quidem clarius: at sensus tamen inest'. Similiter Meine-

kius Vindic. p. 184 iudicat pergitque sic: 'hoc tamen certum est, Praxagoram, cum dicit τὰς ἑτέρας sedes, digito monstrare aliam pnycis partem, ubi se latere posse sperat'. Sed tantum abest ut in abditiore loco sedere cupiant mulieres, ut, quamvis alia iuxta aliam, tamen medios inter viros considant. Vestibus enim virilibus usae latere volunt, non loco.

Bergkius (in praef. ad h. v.) eiecit πως et ἑταίρας vertit 'factiosas'; verum ita certe frigidissima infertur sententia. Praeterea autem quomodo putat Bergkius illud πως inrepsisse?

Proficiscendum esse puto ab altero illo scholio, quod est ad versum 1, quod quidem item in duas partes dividere licet; is enim qui verba βούλεται δὲ εἰπεῖν ὅτι τοὺς ἄνδρας προλάβωμεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν prior scripsit, nondum tam corruptam scripturam ante oculos habuit; cetera qui scripsit, pro κωλαθιζομένας recte legit ἐγκαθιζομένας, sed habuit iam τὰς ἑταίρας. Verba autem ὑποπτεύεται δὲ ὁ ἴαμβος ἢ τοῦ Ἀγάθωνος ἢ τοῦ Δικαιογένους vereor ut ad v. 22 pertineant; mihi contra ad v. 1 spectare videntur, quippe quo tragicorum stilum Aristophanes imitetur. Cum autem nescio quo errore verba quae sunt ὃ πρὸς οὐδὲν εἶπεν ἀλλὰ μόνον ὅτι τὰς ἑταίρας δεῖ πως. βούλεται δὲ εἰπεῖν ὅτι τοὺς ἄνδρας προλάβωμεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ad versum primum translata essent, scholiasta aliquis διὰ τὰς ἑταίρας ἐγκαθιζομένας addidit, ut verborum nexum restitueret. Illa autem: ὃ πρὸς — δεῖ πως iuxta scholion versus 22 collocanda sunt; βούλεται — ἐκκλησίαν vero ad solum versum 23 referenda. Haec autem explicatio optime huc quadrat, ac prorsus similis sententia redit v. 98—99:

> ἢν δ' ἐγκαθεζώμεσθα πρότεραι, λήσομεν
> ξυστειλάμεναι θαἰμάτια.

Vnde mihi suspitio orta est, num forte ἑταίρας hoc loco, quippe cum facillime mutari possit cum οτέρας, corruptum sit ex προτέρας: id quod eo facilius fieri potuit, si reputaverimus ineptum illud de meretricibus scholion accedere. Deinde κἀγκαθεζομένας nihil habet quo commendetur; scholiastam enim solam ἐγκαθιζομένας vocem ante oculos habuisse statim elucet ex eius verbis διὰ τὰς ἑταίρας ἐγκαθιζομένας. Iam igitur habemus haec verba et hanc structuram: καταλαβεῖν δεῖ ἡμᾶς ἕδρας . . . προτέρας ἐγκαθεζομένας λαθεῖν. Deest copula; itaque sic olim scriptum fuisse conicio:

καταλαβεῖν δ' ἡμᾶς ἕδρας,
ἃς Κλεόμαχός ποτ' εἶπεν, εἰ μέμνησθ' ἔτι,
δεῖ καὶ προτέρας πως ἐγκαθεζομένας λαθεῖν.

Sententia haec est: necesse est nos sedes occupare eas quas . . . . et eo, quod priores considimus, latere.

Epimetrum II.

Iam ante complures menses*) factum est ut ei quam praemisi disputationi ultimam manum imponerem: in qua cum de versibus 302 sq. disputans ipse haesitarem quid de depravata inquinataque illius loci scriptura proferrem, nunc quaedam, de quibus iam paullo accuratius ac certius disserere posse mihi videor, retractare paucisque enarrare placuit. Verba autem de quibus agitur haec sunt:

σωτηρία παρέκυψεν, ἀλλ' ὀρίζεται
Θρασύβουλος αὐτὸς οὐχὶ παρακαλούμενος.

Vbi Ravennas exhibet ὀρείζεται.

Thrasybulum dici Stiriensem supra (p. 346) memoratum est, licet contra dicat Palmerius cum aliis; nec minus constat prorsus sententiam eos fefellisse, qui Praxagoram putarunt his verbis quodam modo adhortari Athenienses, ut Thrasybulum ad rem publicam gubernandam vocarent, quippe qui illo ipso tempore in urbe summa auctoritate floreret: ut omnia, quae in hanc sententiam comprobandam prolata sunt, iure meo videar silentio praetermittere. Porro traditum est eundem Thrasybulum vere anni 390 cum quadraginta navibus Athenis profectum esse, ut Rhodiis auxilium ferret; item eum id quod facere iussus erat, sive suum arbitrium secutum, sive quavis alia re adductum omisisse et ad oram Thracicam se convertisse ibique praeclare multas res gessisse, eodem loco exposui (cf. Frohbergeri egregiam disputationem Philologi t. XVII p. 439 sqq.). Aristophanis autem ea de quibus agimus verba apparet haec dicere: 'affulsit rei publicae spes salutis quamquam parva (σωτηρία παρέκυψεν), sed obest factis suis Thrasybulus ipse nullo iubente'. Sed quid id est, quod saluti obesse dicit Praxagora? Fortissime enim cum sese gesserit Thrasybulus in mari Thracico, non modo non improbabilis est, sed multum habet quo commendetur ea sententia, quae

*) [i. e. mense Martio anni 1873. F. R.]

illum spe gloriae et prosperi eventus elatum inflatumque res nimias et audaciores, quam quae convenirent in statum rei publicae (salus enim paullum modo extulerat caput, παρέκυψεν), aggressum esse suspicetur. Notum est enim illum insolentia haud mediocri usum esse, id quod scholiasta quoque aperte tradit: οὗτος αὐθάδης καὶ δωροδόκος, ὑπερόπτης ὢν τοῦ δήμου ἠβούλετο πάντα δι' αὑτοῦ πράττεσθαι. Cum his autem quam non congruat coniectura Meinekii, quam profert in Vindiciis Aristophaneis p. 185: ἀλλ' ὡρᾴζεται (delicias facit), facile apparet. Sed ne illud Thrasybuli arbitrium credamus ad cupiditatem imperii pertinere, temporis rationibus prohibemur; ea enim omnia, quae illuc spectant, paullo ante mortem eius accidisse recte exposuit Frohbergerus l. s. s. Haec igitur quae protuli si quis probaverit, haud improbabit fortasse hanc coniecturam:

σωτηρία παρέκυψε· μετεωρίζεται
Θρασύβουλος αὐτὸς οὐχὶ παρακαλούμενος.

ἀλλ' ex superiore versu (Ἀργεῖος ἀμαθής, ἀλλ' Ἱερώνυμος σοφός) facile poterat in hunc locum inrepere veramque scripturam expellere. De abrupto genere dicendi conferas v. 179:

ἐπέτρεψας ἑτέρῳ· πλείον' ἔτι δράσει κακά.

μετεωρίζεται significat 'altius quam par est petit, nimios spiritus sumit': ita optime hoc vocabulum respondet παρέκυψε voci. Cf. Aristoph. Av. v. 1447 sq.:

ὑπὸ γὰρ λόγων ὁ νοῦς τε μετεωρίζεται
ἐπαίρεταί θ' ἄνθρωπος.

Adde Demosthenem p. 169, 23: .... καὶ διέσυρε τὰ παρόντα, καὶ τοὺς προγόνους ἐπῄνεσε, καὶ μετεωρίσας καὶ φυσήσας ἡμᾶς κατέβη. Item Diodorum 11, 32: μετεωριζόμενος ἐπὶ τῇ δόξῃ.


[Epimetro I Goetziano, ad Ecclesiazuson v. 21—23 spectanti, novum quoddam epimetrum suum addidit illius sodalis atque amicus Fridericus Schoellius Vinariensis, quod hic subiciendum putavi. F. R.

'Quidnam et iocosi et obscaeni lateat in his versibus, quod inesse et verborum ratio et scholiastae explicatio indicat, non satis patere dicit Goetzius noster. Sed revera ad eam rem alludi, quam ille in transcursu attigit, ἕδρας 'nates' quoque significare,

id nescio an firmari possit Ravennatis scriptura: κωλαθιζομένας. Nam haec vox prorsus inaudita nonne commodissime ita explicatur, ut ad ἑτέρας adscripsisse quempiam κωλᾶς sumamus, qua glossa ἐγκα(θιζομένας) expulsum sit, felici illud casu in scholiis servatum? Quod si ita est, ut in ambigua ἕδρας vocis notione versetur Aristophanes, minus recte ἑτέρας tentari videtur sc. ἕδρας i. e. nates, cum antea ἕδρας καταλαβεῖν sit 'occupare sedes'. Iam vero satis aptam sententiam ita efficiemus, ut adscita scholiorum scriptura, quam in κἀγκαθεζομένας mutarunt editores, post τὰς inseramus δ', versum autem 22 subiciamus versui 23:

καταλαβεῖν δ' ἡμᾶς ἕδρας
δεῖ, τὰς δ' ἑτέρας πως ἐγκαθιζομένας λαθεῖν,
ἃς Κλεόμαχός ποτ' εἶπεν, εἰ μέμνησθ' ἔτι.

Vertendum: 'wir müssen die Sitze einnehmen, die andern aber (das Gesäss), von denen Kleomachos sprach, wenn ihr's euch erinnert, meuchlings draufsetzen.']



Vita.

Natus Gomperthusis, vico Meiningensi, anno millesimo octingentesimo undequinquagesimo III Nonas Novembres patre Nicolao, matre Margaretha e gente Roeseriana, fidei addictus sum evangelicae. Anno CIↃIↃCCCLXIII traditus sum gymnasio Hilperthusensi, quod Dobrenzii auspiciis floret. Ibi postquam per septem annos versatus sum, Lipsiam me contuli, ut studiis philologicis operam darem, simul ut officio fungerer militari. A litteris mox ad bellum Francogallicum sum evocatus, unde vulnere afflictus in patriam redii. Valetudine recuperata rursus ad litteras me applicavi atque interfui exinde per continua quattuor semestria spatia scholis: Ahrentis, Curtii, Ecksteinii, Langii, Philippii, Ritschelii, Ruehili, Voigtii, Zarnckii; societatibus interfui grammaticae Curtii, antiquariae Langii, philologicae Ritschelii atque per tria semestria seminarii regii philologici sodalis fui ordinarius. Eis omnibus quos commemoravi viris doctis summas ago gratias, praeter ceteros autem ei, quem consilio atque benevolentia me unice adiuvisse grato animo profiteor, Friderico Ritschelio.

OCT 30